671

157

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mané discutienda, in Scholis Medicorum, die Mercurii vigesimo-quinto mensis Martii, anno Domini M. DCC. L.

M. LUDOVICO-PETRO LE HOC,
Doctore Medico, Præside.

Utrum cautissimi debeant esse Medicus, Chirurgus, præsertim in Cancro curando.

I.



CANCER Καρκίνος, Καρκίνωμα, morborum funestissimus, cujus origo, causæ, scrutatores vel acutissimos latent, tetrâ facie donatur, horrendis stipatur symptomatibus, hunc remediis blandiri vix licet & cum pessimis ægri rebus ferè semper terminatur; paucioribus verbis circumscribi nequit. Acuto sensu donatas partes affligere amat; caput, mammas, genitalia, digitorum extrema, articulos, adoriri fere perpetuum est; alibi cum observatur, sæpiùs degener, minus periculi infert; interiora rariùs depascitur, ea saltem loca quæ aër non alluit & si in intimis corporis partibus Cancer aliquando observatus fuit, membranaceas, nerveas, quales sunt mesenterium, vesica, &c. afficit, vel illas quæ lymphæ dicantur, sic Pancreas; in Renibus vix unquam repertus, hinc non absonum erit concludere, Cancrum è systemate nerveo & lymphatico, originem suam ducere. Mammas frequentissimè devastatur; illæ sexui utrique concessæ, vix quidquam in masculis præstant, si Depilos & vere fœmineos exceperis, quos ut lacte, sic & Cancris aliquando donari observatum est. Mulieres viro maturæ his præsertim dotantur. Frequentioris Cancri in mammis causa, ex illarum situ, structurâ & usu erui debet. 1°. Quidquid ab extra mâli provenire potest, huic subjacent, aliundè vasorum majorum & viscerum vapore & calore destitutæ. 2°. Vasa omnis generis, illarum structuram ingrediuntur, lymphatica, Galactophora vasis sanguiferis contigua, lac secernunt, folliculosè dilatata asservant, intra papillam arctius plicata & constricta, ab exitu prohibent, per areolam hiantia, ad usum infantis lac fundunt. Si glandulas aliquot, plerumque subcutaneas, cellularem, nervosum, spongiosum, contextum haud absimilem penis aut clitoridis texturæ, addideris, interiorem mammæ substantiam habebis; huic multiplices arteriæ subjacent,, hanc plurimæ venæ ambiunt, pauciores verò interius gerit. Commercium facile, vasorum inter se, valvulas abesse probat. Mammas exquisito sensu donari, quis negat; illarum cum utero sympathia, Hippocrati jamjam perspecta erat, talis est, tam accuratè reciproca, ut huic explicandæ, anastomosis decantata, vasorum nempè mammariorum cum epygastricis, nervorum mammariorum cum uterinis per sympathicum majus, impar sit. Observatum est Mulieres, quibus lac semper defecerat, virgines, quin & viros, lac diu & ardenter optatum tandem obtinuisse, juvantibus ut credere est, suctione & attrectatione, egregiis ad id stimulis, quæ tamen mentis in mammas actionem aliqualiter probant. 3°. Usum mammæ si intuearis, hæc ab infante frequentiùs proritata, suaviter quidem, nec sine prudentis Naturæ intentione, lacte turgida, mox depleta, tonum tandem amittet, facilis hinc humorum stagnatio. Lac parvâ præsertim copiâ hærens, induratum, lympha item,

ſkirroſum tumorem producent, quem voluptuoſa nimis, ſæpiùſque repetita attrectatio, inflammatoria à lacte diſtenſio in Cancrum convertent; utrumque ergo in diſpoſitione cancroſâ cautè fugiendum. Quid ex cognitâ probè ſtructurâ mammæ, tumor in illâ mali inferre valeat, ſat perſpicuum eſt; genuinam verò Cancri indolem, peculiarem cauſam exindè eruere difficillimum. Palam aliquando facient obſervata, quæ abſtruſa nimis, adhucdum dolemus. Interea cautiſſimè in Cancro curando procedamus, ejus enim cauſæ, origo, progreſſus, ſymptomata multifariàm implicantur, ſæpè variant, partes ſtructuræ intricatiſſimæ afficit, ejus ſymptomata leviori de causâ exacerbantur, difficilè mitigantur, difficiliùs aufferuntur, dolores acutiſſimi, curatus ſemel, citò & ferociùs repullulat, ægrotantem ſæpiſſimè necat.

I I.

NEC ſatis eſt partes Cancro veluti proprias ſubindicaſſe. Rei momentum exigit ut quâ ſe prodat facie, quibus larvis aliquando incautum decipiat, num ex genio partis affectæ, peculiarem caracterem induat, apprimè noſcatur. Ita ut hunc in ortu detegere, eradicari, notis ſymptomatibus, periculis, obviam ire valeamus, ſaltem ne quod ſæpiùs accidit, ignoto perverſam Therapeiam adhibeamus. Quæ pauciſſima hîc ſubjicimus, ex obſervatis Authorum probæ fidei collatis inter ſe deducuntur, vulgatiſſimum Cancri proceſſum deſignant. 1°. In facie orditur ſæpe ſine tumore, ſæpiùs cum tumore vix manifeſto, ſæpiſſimè lato, non ita bene circumſcripto, paulatim duritiem inæqualem acquirit, pruriginosè dolet, cutis cui ſubjacet tumor, rubet, ſublutea fit nonnunquam, eryſipelatis more, liveſcit, puſtulis operitur, quorum apex ſaniem fundit, affectum *cuperoſſa* dictum haud malè diceres, tandem ulcus fit, latè ſerpens, granulatum, punctis nunc albis, nunc verò ſanguineis interſperſum, acutiſſimè dolet, periodos ſuas ſat citò abſolvit. 2°. Labrum inferius haud rarò diſcruciat, gingivarum ſcorbuticâ diſpoſitione ut plurimum comitante. 3°. In interiori narium, gulæ, alveolarum, maxillæ ſuperioris, præſertim ab avulſione dentis molaris, vaginæ, polypum, fungum mentitur, his accreſcit, hæmorrhagias exitiales numerò infert, minùs acriter dolet & tempora ſua tardiùs luſtrat. 4°. In gingivis hyperſarcoſim æmulatur, huic adnaſcitur, diù ſtat immutatus, dolores urgent, gingivæ ſcorbuto deturpantur. 5°. In oculis, caruncułæ, idatidis formam induit, hi affectus in Cancrum facilè abeunt, ex admotis v. g. cauſticis; lentè ſatis procedit, pertinaciſſima cephalalgia ægrum vexat, hæmorrhagiæ haud infrequentes, in tumorem ſæpè intenſum aſſurgit, ſub ſolani eſculenti formâ. 6°. In parte piloſâ capitis, in articulis, lupiam ſimplicem, primâ fronte diceres, hanc remediis potiſſimum vexatam inficit, lentè creſcit, acutiſſimos dolores cum totius articuli tumore & rigore infert. 7°. In extremis digitis, balano, pene & horum viciniis, verrucam refert, ex illâ originem ducit, ulceratus ſemel citiſſimè tempora ſua abſolvit, acutiſſimè dolet. 8°. In mammis glandulam nunc triangularem, rotundam, oblongam diceres, in eodem ſtatu per plures annos aliquando viget, accedente tandem irritamento quocumque, augetur, prurit, dolet, vaſa vicina, communicantia, nervi huic proſpicientes, glandulæ contiguæ admiſſâ labe infarciuntur, plùs vel minùs, citiùs aut tardiùs tumorem figunt, multiplicem formant, vel ſimplicem extendunt, creſcit interea tumor, elevatur, acutiùs dolet, integra ad axillam uſque mamma tumet, quin utraque aliquando intumeſcit, cum ipſo brachio, cujus motus difficiles, dolorem augent; cutis minutior evadit, rubet, liveſcit, varicibus circumquaque recurvis obtegitur, quæquidem Cancris omnibus propriæ, in mammis verò frequentiores, Cancri nomen præprimis dedere, occultum in illo ſtatu Cancrum Medici pronuntiant. Sanies acris, fœtens, ſtillat aliquando per hiatus papillæ, cutis tandem finditur, ichorem corroſivum, tetrum fundit, fiſſura ampliatur, oræ recurvantur, fungosè tument, epiderma circumambiens facillimè à cute quandoque ſecedit, ulcus granulatum ſanguine interſperſum, cartilagineam, corneam ſubrubeſcentem ſubſtantiam granulatim diſperſam exhibet, lividum fit, circularem, ut plurimùm formam tentat, *de cul de poule*, viſu fœdiſſimam, Cancrum adapertum tunc dicunt Syncope, dolores, febris hectica, ſudores nocturni, fluxus alvi, hæmorrhagia ut plurimùm ægram conſumunt. Hæc eſt abſtruſiſſimi & teterrimi morbi imago.

I I I.

HEREDITARIA labes, contagium, cœli temperies, puta aër marinus, ſuppreſſæ evacuationes hæmorroïdum, menſtruorum, ſeminis; temperamentum atrabilarium, melancholicum, inanis ad venerem ſalacitas, affectus animi vehementiores, victus è cibis acrioribus, potus ſpirituoſi, exercitia validiora, lactis intropulſio, generaliores Cancri cauſas conſtituunt; mille tamen obſervatis conſtat, Mulieres aliundè optimâ ſanitate gaudentes Cancro vexari, quo ſolo exeſæ obierunt; inde ſpeciale quoddam morbi genus Cancer conſtituere videtur. Poſitâ præſertim aliquâ è cauſis generalioribus, plurima Cancrum accerſcant, ſic contuſio, uſus internus, externus remediorum acriorum, repercutientium, coagulantium, frictiones, ſectio præpoſtera tumoris nervei & alia bene multa, quæ ex ſitu, ſtructurâ & uſu partium haud difficilè eruentur. Skirrus inflammatus, ulceratus, ad certam molem auctus, Ciſtim rumpens, inflammans, exulcerans, vicina premendo, dolores, inflammationem producens, ut vulgatiſſima & proxima Cancri cauſa habetur, à plurimis Authoribus melioris notæ; quæ ſi de ſkirro non exquiſito intelligant, annuimus. Interiora

rarò premit Cancer, cum externis injuriis & præsertim aëri non pateant; quid enim damni aër vulneribus inferat, quantùm putredinem juvet, vix credere est. Morbis plurimis implicatum Cancrum Medici observaverunt, scorbutus, scrophulæ illum haud rarò comitantur; ossium fragilitas cum siccitate, hujus comes aliquando visa fuit. Sed quid hæc, innumera observata evincunt hunc nullo alio vitio circumfultum existere. Num inde eandem esse scorbuti, scrophularumque Therapeiam, cum Cancro accusarent? Cave credas, ne probes, in Cancro saltem aperto, cujus dolores, cum febre hecticâ, comites erunt, quam infausta perversam hanc methodum secuta sunt. Id unum certum est, Cancros plurimos, immaniter jamjam sævientes, adhibitâ causâ, variatâ medelâ curatos fuisse, ita ut indè paucissimos conclamatos esse probatum sit.

I V.

TUMOR adhuc dum schirrosus, omni ope resolvendus, cautius semper probanda sunt remedia, in tumore, cujus situs, figura, sive etiam generalior Cancrorum causa jam præsens, futuri Cancri suspicionem injicient. Itaque venæ-sectione, purgantibus pro re natâ, præmissis, resolventia post modum adhibenda sunt, à mitioribus ordiendo, sic mercurius à leviori dosi ad proximam usque salivationem probatus feliciter fuit, ad validiora quandoque progrediendum erit, habitâ ratione ætatis, temperamenti, &c. Interea colatoria corporis quælibet reseranda sunt, humorum fervori occurrendum. Experientiâ jamdudum constat, Mulieres plurimas, tumore sæpè jamjam Cancroso afflictas, tum integrè sanatas fuisse, tum etiam annosam satis vitam, dicam incolumes, protaxisse, usu solo remediorum superiùs assignatorum, diù satis continuato; plurimas autem quæ illorum jam per multos annos efficaciam ita feliciter probaverant, ut omninò sanatas se crederent, illis tandem neglectis sæpè absolutè omissis, Cancro immaniter sæviente, vel etiam morte, delictum Medicum piaverunt. Quid mercurius ferro arte unitus valeat probent Medici. Si quis audax nimiùm, invitis tot rationum momentis, meticulosos nos dicat, *Hippocratem* adeat quæso & ab illo quotquot in arte Medicâ excelluere, *Boërhaavii*, celeberrimi ejus discipuli opera meditetur. Paulum *Æginetam* consulat, qui morbos, credam sæpè leviores, ferro & igne urgebat, Chirurgicam Cancri curationem, aggredi vix suadet. Plurima tamen sectionis usum in Cancro commendant, hanc, felicissimus, cautissimusque simul experientiâ suâ probat *Fabricius Hildanus*. Incassùm tentatis remediis, tumorem aufferendum tutò pronuntiamus, si præsertim congenitus non sit, si corporis interiora hac labe immunia sint, si totus sive sectione, causticis, igne, aut suppuratione eradicari possit, parti, quam attingere periculum foret, intimiùs non adhæreat, permittantque ægri vires. Sat tutò aufferetur, si sat citò. Neque in curando Cancro ferrum, caustica, ignis absque delectu adhibeantur. Si tumor omnis, simulque ferro exscindi possit, paucissimis saltem superstitibus, suppuratione postea aut causticis, radicibus aufferendis, toties ferrum sit in usu. Scalpello ad id instruatur Chirurgus, illo radices, cum tumore, tutiùs faciliùsque secabit. Infida forceps, plurima importat incommoda. Nec laudo perpetuam brachii lateris ægri in operando elevationem, naturalem fibrarum musculi pectoralis situm pervertit; radices Cancri, si quæ sint, nec observari neque exscindi facile hinc possunt. Brachii extrorsùm diductio, tumorem & cutim sufficienter firmaret; sæpè brachium relaxari conducet. Plurimi inter operandum, cuti parcendum suadent, ignis, causticorum, usum omnem reformidant; vasa tumori vicina, tetro sanguine infarcta, aliquali hæmorrhagiâ reserari non sinunt, vulneris oras suturâ, fasciis stringunt, cicatricem quam Citam jactant, pro viribus accelerant; sed non ne stolidum est cicatricis deformitate, leviori hæmorrhagiâ perterreri, Cancri verò redituri, periculum incurrere; nùm satiùs est causticis, igne, radices averruncare. Alii radices Cancri fictitias esse propugnant, quas tamen, funestissima spatim ab Autoribus annotata nimis certò probant. Qui cuti parcendum suadent, ex observatoribus discant, quam sæpè improbâ hac cautelâ, Cancer non penitùs excisus, in cute attentiùs relictâ, vel ejus viciniis ferocius, ut moris est, repullulaverit. Qui citam cicatricem optant, sciant illam sæpius callosam, dolentem ita remansisse, usque dum immaniùs Cancer in ipsâ de novo sævierit. Copiosa satis suppuratio servanda, parcior proritanda, suppressæ, finitæ, cucurbitulæ, scarificationes, cauteria vices gerant, quæ in imminente Cancro egregia præstant; ne tamen vicino nimis tumori applicentur, Cancrum sic excitasse observata probant. Si aliquando copiosior suppuratio fuerit, tum mitiganda venit. Quemadmodùm Cancer, sic neque radices, eadem ubique methodo curandæ sunt. Quasdam insequi periculum foret, illæ nempè quæ ad interiora usque viscera pergunt, quales in pectoris cavum penetrantes observatæ sunt, quod si præscire datum sit, sive sputis, tussi, aut aliis signis, pro viscere affecto, à Cancri extirpatione prorsus abstinendum: sunt quæ ferro, aliæ causticis, aliæ igni faciliùs parent. Ferro, quæ visu conspicuæ, intra glandulas vicinas insertæ: causticis quæ intra musculi fibras recunduntur, vel intra adipem latius serpunt. Hæ causticis exesæ, siccatæ tutò fuerunt, quas cultro abscindere infausto cum exitu, Chirurgi tentaverant. Ipsemet Cancer causticis aliquando tutiùs quam ferro sanabitur, quoties nempè ex ossium cavo prodeuns, extra os solummodò secari poterit; ferro tunc si tentetur, irritatas radices difficilius posteà curationem admittere & crudelius sævire perpetuum est, causticis verò tumor cum radicibus exustis, in escharam decidet; quod eò etiam facilius succedet, si, ut haud rarò

evenit, extremitas sola tumoris prominens, Cancro afficiatur, tunc intra tumoris medium, vel ejus radices, immissa, egregiè proderunt, quod experientiâ confirmatum est. Caustica toties etiam præferenda sunt, quoties multiplices nimis radices, quas cepæ radicibus haud absimiles quondam observaverunt Medici, difficillimum foret omnes cultro exscindere, causticum intra illorum nervos, vasa dilatata ingrediens, virûs intra illa contenti, energiam infringet & illas in escharam haud difficilè postea avellendam convertet; his sanè ferrum nusquam supplere valeret. Inter caustica, hæc eligantur quæ mitiora, quatenus licebit; sedantibus, narcoticis intermixta sint. Vix unquam ulceri Cancroso latiori applicentur, saltem validiora, hæc enim eosdem quondam dedere effectus ac si interius propinata fuissent. Nec deest occasio ignem feliciter probandi, quoties peractâ operatione, fungosæ nimiùm supercrescent carnes, sic etiam quoties intra ipsam ossis substantiam Cancri radices inserentur, tunc admoto igne exfoliatas ossis lamellas cum residuo Cancri viru auferes; sic etiam cum gangræna aderit aut imminebit, quod eò facilius succedet, si in primo operationis peractæ instante ignis admoveatur, nisi graviora obstent, tunc enim à doloribus prægressis; sæpè à syncope, æger deliqnescens, quælibet Chirurgo permittit; cum è contra ustionis apparatum de novo vix admittet, quam in posterum supercrescentes carnes, tumor partis operationem subsequens, suppurantis sensus acutissimus præpedient. Sed exteriora secare, urere plerumque non sufficit, serpens interius venenum debellandum est, avertendæ ejus causæ, hæc à superius dictis & assignatis causis eruenda sunt.

V.

SI seriùs ad ægrum convocatus, dira nimis symptomata immedicabilem Cancrum attestentur; tunc ejus progressus, urgentia pericula, prudens avertes; 1°. pútredinem arcentibus internè, externè adhibitis, interiora Cancri mitioribus, ejus verò labra validioribus contegantur necesse est. Ægri vires cardiacis levioribus, cibo eupepto erige, doloribus sedantia opponas, hinc opii, Solanorum usus, qui tamen ne diutiùs protrahatur plurima vetant Quid plumbum exteriùs adhibitum valeat probabis, interius quandoque usurpandum esse suaderent Medicorum celeberrimorum scripta & praxis; sed cum arsenicale quiddam plumbo inhærere plurima evincant; de quibus vide *Junckerum*, num indè plumbi è lytargirio, &c. redivivi & diversè parati, usus internus minùs periculosus erit, quam plumbi calcinationem aut vitrificationem nundum experti. Si ulcus tumidum, molle fuerit, escharotica, vulneraria, leviter stiptica, ægro præsertim phlegmatico cacochymico conducent; hæc tamen multò minùs proderunt hîc, quam in cæteris ulceribus; Cancer etenim caracterem pertinacitatis propriæ morbis è systemate lymphatico, aut nerveo oriundis retinet Mumia *Poterii*, acidula in fotu, vapore, experientiâ probantur. Urget sæpè symptoma, cui citò occurrere, omni ope atque operâ allàborandum est. Vasa nempè intra tumorem adhucdum mollem contenta, sinus, alveolos quosdam sibi efformavere, in quibus actioni remediorum exteriorum vix patent, hinc præpedito per compressionem sanguinis circuitu dilatata, à sanie acriori corrosa, uberrimum sanguinem fundunt, omnemque simul cum vitâ profunderent, nisi linteis carptis, siccis, vel liquore stiptico madidis, absorbentibus, obturantibus, astringentibus, succurrere daretur; stiptica præsertim ne validiora sint, nisi talia summo ægri periculo indicentur; crocum Martis laudat *Ernestus Stahlius.* Illis remediis si Cancrum felix curare non possis, saltem mitigatis doloribus longævam satis vitam reddes. Sint ergò

Cautissimi in Cancro præsertim curando Medicus, Chirurgus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius Bourdier de la Mouliere.	*M. Franciscus Bernard.*	*M. Ludovicus - Petrus le Hoc, Actûs Præses.*
M. Petrus Arcelin.	*M. Joannes le Thieullier, Chirurgiæ Gallico idiomate Professor designatus.*	*M. Antonius-Nicolaus Gucnault.*
M. Petrus Chevalier.	*M. Jacobus Verdelhan des Moles, Scholarum Professor designatus.*	*M. Paulus-Jacobus Malouin, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, & Regius Chimicorum Librorum Censor.*

Proponebat Parisiis, CLAUDIUS-FRANCISCUS GRANDCLAS, Pontimussanus, Doctor Medicus Pontimussanus, nec non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1750, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1750.